

**137\*** in basi statuae Commodi habentis caput operatum pelle leonina, effractum autem brachium dextrum. Venetiis apud Franciscum de Mosto senatorem MUR.; in museo Capello BOCCHI. Postea Zarae in museo Danielli-Tomassoni, deinde Pellegrini; hodie quo devenerit, ignoro.

imp. caes. | l. ael. aur. m. commodo | ant. p. f. max. aug. sar. | ger. brit. pacat. orb. | terr. herc. rom. amaz. | super. inuicto | pont. m. tr. p. xiiii | imp. uiii cos. uii p. p. | s. p. q. r.

Titulum in marmore fictum esse Venetiis ad illustrandam statuam Commodi, de qua diximus, eo advectam ex Graecia docuit Paciaudius mon. Pelop. I p. XXI. Habent Mur. 242, 5 a Zeno, item in schedis a Bocchio; Marini Arv. p. 355 (cf. p. 406) descriptam a Rubbio (inde Orelli 885); Gurat ms.; Ferrari-Cupilli ms.; Negebaur *Süd-slaven* p. 185.

**138\*** Venetiis apud Weberum; in seminario salutis ectypum gypsaceum extat MOSCH. Ego vidi neutrum.

LVCRIONI CANI  
*canis*  
L·TVRILLIO·L·F·CAESONI·PATRI

Moschini *chiesa della Salute* p. 144.

Sane certior auctoritas desideratur, antequam titulum admittamus, qui canem hominemque eodem sepulcro coniungat.

**139\*** Titulos diversis temporibus in diversas domus patriciorum Venetorum advectos aliunde hoc loco recensere noluimus; nam et infinita res erat et parum utilis, cum harum rerum periti non ignorant ex domicilio Veneto de tituli origine non magis conjecturam fieri posse quam ex domicilio Florentino vel Parisino. Hoc unum adnotabimus C. Valerii Clementis (Mur. 1505, 12) titulum quamquam Fontaninius scribit Venetias in aedes Minottias venisse Altino, tamen reiectum esse inter urbanos, cum legatur, quamquam loco non indicato, apud Panvinium cod. Vat. 6036 f. 81, praeterea autem Fontaninius idem asseveret de titulo Sex. Laetili Quartionis, qui certo non Altinas est, sed ex ripa Benaci delatus Venetias. Contra duo simul descripti n. 2216. 2245 referuntur inter Venetos, etsi de prioris certe origine Veneta dubitamus.

### XIII. HATRIA.

**140\*** in quodam vase antiquo sive urna FELIC., ubi praecedunt Adrianae. Adriae FERR. Inter Patavinas LIL. SAN. VALV. — Brixiae in ecclesia S. Petri REINES. contra auctorem.

*in corpore amphorae:*

D · M  
L · GALLATIAE  
OSSA · PAR · P

Videtur finxisse Felicianus Adr. 4, a quo pendent Ferrarinus cod. Reg. Adr. 3, Lilius f. 54 (inde Reines. 12, 39 ex Langermannianis, a quo sumpserunt Brixiani auctores Vinaccesius p. 321; Mur. 1681, 2 ex Vinaccesio; Gnocchi ms. p. 273); Gammarus f. Trev. 11; Sanutus f. 56'; Valvasson f. 3. 2 GALATIAE San. Valv. — 3 PAR·F San. Valv.

**141\*** Adriae fuit in pariete interiore sacristiae S. Mariae Adsumptae BOCCHI ms. apud Devit. Deinde Rovigi in museo Silvestri SILV., nunc Veronae in museo philharmonico n. 488 inter falsas.

CERERI · AVG  
HEDOMACVS · PVB  
// VIR · MAG · OB · HON  
LIB PATR·ET·HERCVL·AVG

Contuli. Habent Cam. Silvestri *Giovenale* (1711) p. 619, qui ligno expressit (inde Mur. 29, 6) et in comm. postuma in anaglyphum Graecum (Romae 1720. 8) p. 64; Maffei M. V. 177, 5; Devit p. 129 n. 151 adhibitis schedis Bocchi.

Falsam iudicavit Maffei et mihi quoque suspecta certe visa est, quamquam non certo falsa.

**142\*** Adriae inventa FERR. — In S. Mariae de Tumba adiecit SCOTI, quoniam inscriptio quae praecedit ibi collocatur.

*ex uno latere:*  
caius caes. diui augusti pronepos | augustus | senatus consulto

*ex alio latere:*  
consul tertium | pontifex maximus | tribunitiae potestatis | quater patri patriae | rei constitutae conseruator

Venit a Ferreto f. 119 (inde male Scotti apud Mur. ms. 19, 226, ed. 1992, 4; Campagnella 2, 146; Orelli 701; Devit p. 127) neque datur ab eo tamquam titulus in lapide scriptus, sed nummus est Caligulae (Cohen n. 14) notis sive recte sive falso explanatis.

**143\*** Adriae in museo Bocchi.

\* L : M : E : Q  
Q : T : O Q  
C N : F R PS

Ectypum misit Bocchi, unde appetet falsam esse.

### XIV. FERRARIA.

**144\*** Ferrariae nella casa dell' Obizzo comprata da M. Alfonso Cagnacini LIGORIUS. In aedibus marchionis Thomae Obizzi ad S. Petrum BARUFF.

Ex domo Obicina illata in museum SCALABR. Ibi extat.

VIN · VENVS  
*venatrix succincta*  
*d. venabulum tenens;*  
*ad pedes canis*  
VENV VENAT

Vidi; falsa est vel potius recens. Habent Ligorius ms. Taur. 8, Ferr. p. 42 (inde Fabrett. 331, 489; Mur. 1641, 1 ex hist. Ferr.; Frizzi 1, 244); Baruffaldi mon. f. 12 ex Ligorio et ex lapide; Scalabrini ms. apud Mur. et inser. n. 37; Zaccaria exc. 2, 164; Frizzi 1, 250 tab. 4, 13; Amati ms.

Pro v. 1 AVIENVS, pro v. 2 AVIENAE Ligorius.